

*Beneuolo Lectori Autor S.*

**C**VM mecum perpenderem Candide Lector  
quā breui momento vertantur res mortalium,  
vt qui iam ad inuidiam vsq; felix sit, statim ad-  
uersa fortuna conflictetur, & qui hodie bene valet al-  
tera die efferatur, omittere non potui, quin hunc fœ-  
tum quamuis omnibus partibus suis nondum absolu-  
tum sed præproperum & abortiuo similem ederem,  
metuens ne vel negotijs impedito, vel morbis graua-  
to, vel morte prærepto id postea nequaquam liceret.  
Qui enim mihi hætenus non profui scientiæ Chemi-  
cæ studio addictus, in qua meliorem ætatis partem ab-  
sumpsisse me fateor, primo Autorum quorundam &  
præsertim Comitum Bernardi verbis inductus, deinde  
experientiæ falsis illecebris confirmatus, nunc vt alijs  
quam maxime utilis sim laboro, optoque vt omnes ad  
quorum manus hic noster tractatus perueniet in deli-  
gendo vite genere prudentiores sint, nec eo se scientes  
dimittant, vnde exitum videant nullum esse. Quan-  
quam ego nunquam diuitiarum amore, aut ambitio-  
ne, quod vere de me testari possum, sed tantum artis  
dignitate & miris virtutibus illectus eam prosequutus  
sim, & vt haberem vnde Naturæ arcana ad quæ totus  
naturali inclinatione ferebar, indagare possem. Nec  
erat studium à moribus meis alienum, qui natura quie-  
tus forensia negotia & turbas oderam, tranquillitatem  
& solitudinem amabam, cum præsertim res mihi satis  
lautæ essent, vt non multo plus optandum foret priua-  
tam vitam agenti, nisi fato quodam & peccatis nostris  
ita merentibus publica Belgij quies cum mea aliorum-  
que multorum calamitate turbata fuisset. Si quis ve-  
ro miretur cur in principio statim libri artis veritatē  
asserere studeam, cum potius eam in dubium reuoca-  
re debuissem, vt alios absterrerem, quando id proposi-  
tum meum fuisse videatur, sciat veritatis amorem ma-  
iorem esse, quam vt eam occultare aut silentio inuol-  
uere potuerim aut debuerim. Et fortasse idem mihi  
accidit, licet in re dispari, quod Censori illi Romano,  
qui cum oratione pro rostris habita Populumhorta-  
retur

LECTUR